

EXPOSITIO.

114. Tertull. Ambros. Achanaf. Euthym. Alb. Maga.

IN primis quatuor petitionibus exoramus à Deo bona; in tribus vero ultimis deprecamur; ut mala evitentur à nobis, utque ab illis eruamur. In hac quinta petitione dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sive, ut Lucas posuit, peccata nostra. Et hæc per debita significantur in Scripturis, ut observat Tertullianus lib. de Orat. cap. 7. D. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. Euthymius, Albertus Magnus, & alij, Nam peccatum inducit reatum, sive obligationem, ac debitum ad excusationem, justitiam, & penam. Hic sub nomine debiti intelliguntur etiam peccata venialia, ut docent D. Hieronymus lib. 3. contra Pelagian. D. August. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani, cap. 10. Ex quo Patres communiter refutant errorem Pelagianorum, asserentium, quod Sancti hæc verba, Dimitte nobis, non pro se dicebant, sed pro aliis, vel hæc dicebant humilitatis ergo. Utrumque est falsum. Non enim dicimus: Dimitte aliis, sed dimitte nobis. Deinde absit, ut Sancti coram Deo mendacium in oratione dicant; hoc enim esset quædam fictio. De his latè D. August. citato loco, & lib. 2. de peccat. meritis, cap. 10. D. Cyprianus tract. de Orat. Immo Concilium Milevitanum I, cap. 1. & Africanum cap. 37. sub anathemate prohibent, ne quis audeat asserere, quod hæc verba dicantur à Sanctis humilitatis gratiâ, & non veraciter. Denique hic sub nomine debiti non solum intelliguntur peccata mortalia, & venialia, sed etiam penas, ad quas illorum ratione alstringimur; Deo enim facimus orationem nostram, à quo, cum sit magnificus, liberalisque pater, omnium debitorum nostrorum remissionem deprecamur.

Hieron. August. & fellitur Pelagianorum error.

August. Cyprian. Conc. Mil. Conc. Afric.

Extremus etiam remissionem à panis.

115. Sensus literalis.

Sicut & nos dimittimus. Per hæc non significamus certam mensuram, sed quandam coram Deo rationem inductivam dicimus, quæ ipsum ad dimittendum moveat. Et hæc est quædam, quam Deus à nobis exigit, conditio ut illa interveniente, ipse nostra peccata remittat. Debita nostra, iis, qui nos offenderunt, qui in nos deliquerunt. Et hæc non uni, vel alteri tantum, sed omnibus debitoribus, ut clarius, dicit Lucas, nos dimittimus omni debenti.

QUESTIO XVI.

Quare post petitionem panis, de venia peccatorum hic agatur?

116.

Tolet.

IN quarta, & antecedenti petitione panem exoravimus, in hac nunc quinta, veniam peccatorum petimus, quod magna quæstionem facit Cardinali Toletto in c. 1. Lucae annot. 13. cur scilicet, Christus præposuit petitionem victus corporis petitioni remissionis peccatorum, cum prius sine petenda spiritualia, quam temporalia? Ad quod ipse respondet, cum existimet, hic per panem intelligi panem temporalem, quod Christus in hac oratione prius egit de his, quæ pertinent ad integrum hominem sanum; postea verò de his, quæ ad infirmitatem, si à sanitate cadere contingat.

At in nostra sententia facilis est solutio, quia per panem non solum temporalia, sed etiam spiritualia intelligimus; & ideo prius hæc petimus, licet aliqua temporalia secum devolvant; & postea accedimus ad deprecandum, ut à malis, seu peccatis eruamur, & liberemur.

Secundò optimè, & ingeniosè responderet Fortunatus: Bene, ait, post escam questam postulat venia peccatorum, ut qui Dei cibo pascitur, Deo vivat. Coniunctio hæc maxime notanda. Efflagitamus, cælestem panem nobis dari; & simul exoramus omnium macularum abluionem, ut nihil in nobis, etiam minimum, maneat iniquitarum, Christi præsentia in cælesti pane tantam exigit puritatem, ut pectori sordibus maculato, nec temporis momento adesse velit. Aliter hanc rem explico. In hac oratione, seu Evangelij breviario postulamus, ut nomen ejus sanctificetur, ut diximus, Adveniat regnum tuum; quod de regno gratiæ, & sanctificationis explicat D. Chrysostomus, Nyssenus, Hieronymus, Ambrosius, ut dixi quest. 10. Et consequenter ibi exoravimus peccatorum nostrorum remissionem gratia enim, & sanctificatio non datur sine illa. Ad quid ergo iterum hanc remissionem exoramus: Dimitte nobis debita nostra? Petivimus cælestem panem: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quod de sacra Eucharistia multi Patres intelligunt, ut jam dixi. Igitur etiam rogaverimus, ut regnum Christi in nos adveniret, per suam gratiam, & sanctificationem, utque regnum peccati, & Diaboli destrueretur in nobis; arque ut ab ipsis noxiis mundaremur; cum jam ad cæleste convivium devenitur, statim iterum exoramus: Dimitte nobis debita nostra.

117.

118. Fortunat. Puritas ad Eucharistiam.

Chrysost. Nyssen. Hieron. Ambros.

Quamvis enim quilibet sit purus, sanctificatus ac gratia plenus, est tanta hujus divini cibi puritas, & sanctitas, ut ad illius præsentiam quilibet, quantumvis justus, adhuc se inquinatum agnoscat, adhuc in se defectus videat, ut ab illis mundari necessarium judicet. Nullus coram Deo justus reputari valet. Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, Psalm. 142. numero 2. Vertit Vatablus: Nullus enim vivens coram te justus est. Quod maxime militat in hoc Sacramento, in quo homo non solum est in præsentia Dei, sed etiam ipsummet Deum manducat, & in se recipit.

Hæc dicit ad Eucharistiam accedens, quæ in se defectus agnoscat.

Psalm. 142. Vatabl.

119. Fortunat.

Per tempus vale homo ad peccatum proclivus.

Chrysost.

120.

Nyssen.

Tertiò prædictam Fortunati sententiam sic explico. Bene post escam questam postulat venia peccatorum. In pane intelliguntur omnia bona temporalia ad vitam necessaria, ut docent Abulensis, Toletus data quest. 13. num. 96. Obtentis terrenis rebus homo adeo est ad peccatum, præcipitumque proclivis, ut post bonorum temporalium petitionem, statim delictorum veniam incipiat exorare: Dimitte nobis debita nostra; & ita ait Chrysostomus citatus in catena D. Thomæ: Dimitte nobis debita nostra. Post substantiam cibi petitur & venia delicti. Facile ex temporalium possessione in peccatum prolabitur homo, & ita jam pro venia preces effundit. Cur hæc petitio sit hoc loco, seu ad finem, orationis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Pulchram dubitationem movet D. Gregorius Nyssenus. Ut jam notavi cum Expositoribus communiter, septem hæc petitiones continentur. In primis quatuor exoramus bona; in aliis, ut nostra remittantur

remittantur peccata, utque à malis liberemur. Sed cur tam parvas petitiones facimus? Cur à Deo non plura bona exoramus? Cur tam parvis terminis nostras petitiones coarctamus? Sicut nos dimittimus debitoribus nostris, devotum est in hoc puncto ad summum perfectionis apicem; dum inimicis nostris, nosque offendentibus injurias illatas remittimus, jam supra naturæ terminos evehimur, cælestique patri affimilamur, Matth. 5. num. 48. cum ad ejus imitationem inimicis beneficiamus; & tunc nosster appetitus veluti nihil habet, quod jam ulterius desideret. D. Nyssenus tract. de orat. Sermo venit, ait, ad ipsum extremum punctum virtutis: prescribit enim per verba orationis, qualem velit esse eum, qui ad Patrem accessurus sit, qui prope modum non amplius inter terminos humana naturæ conspicitur, sed ipsi Deo per virtutem assimilatur, ut alius ipse Deus esse videatur, dum facit ea, quæ solius Dei est facere; debitorum enim remissio proprium est Dei munus. Expende pulchra ultima verba. Proprias injurias remittendo, offensioribus parcendo, valde supra proprios nostræ naturæ terminos sublimamur: Ut alius ipse Deus esse videatur, dum facit ea, quæ Dei solius est facere. Vide cap. 14.

Dilectio inimicorum summatio virtutum. Nyssen.

QUESTIO XVII.

Quare petamus, quod Deus dimittamus nobis, sicut nos dimittimus debitoribus nostris?

121.

Luc. II.

OC, ut jam in expositione dixi, certam non significat regulam, quam Deus habet in dimittendis peccatis; inimico enim majora à Deo nobis dimitti petimus, quam nos aliis dimittamus, ipsique nobis debeant, solum enim quandam motivam significat causam, qua ad dimittendum divina bonitas moveatur, ut expressius habet Lucas 11. num. 4. Dimitte nobis debita nostra, sicut enim & nos dimittimus debitoribus nostris. Et hæc causa motiva, est veluti quædam conditio, qua posita Deus facile remittet peccata, ea verò deficiente non remittet, ut dicitur infra num. 15. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis delicta vestra: si autem non dimiseritis, non dimittet. Ac proinde hoc est veluti quoddam pactum, quod Deus cum peccatore inicit; quod si homo dimittit debita, injurias ac offensiones, & ipse dimittet; si autem peccator non dimittat, nec Deus dimittet. Hoc pactum notat D. Augustinus in Enchiridion. 73. & homil. 4. D. Chrysologus serm. 71. D. Paschasius lib. 4. in Matth. Albertus Magnus, & alij. Unde D. Cyprianus tract. de Oratione. Adit Dominus legem, ait, certa nos conditione, & sponse constringens, ut sic nobis dimitti debita postulamus, secundum quod & ipsi dimittimus, scientes, impetrare nos non posse, quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus.

Pactum inter Deum & homines de injuriis remittendis. August. Chrysolog. Paschas. Alb. Mag. Cyprian.

122.

Paschas.

Quinque hinc maxime ponderanda veniunt. Primò magna Dei clementia. Pro quo accipe D. Paschasium lib. 4. in Matth. Diligentius unusquisque petitionem cautionis agnoscat; quia sicut promptus ad indulgentiam circa suos debitores Sylveira in Evang. Tom. II.

extiterit, sic Deum in suis propitium habebit. Hoc enim sperare docemur à Domino, & in nostra ponitur potestate. Quod etiam docet Divus Chrysostomus. Injuria in Deum gravissima sunt, ut tamen de iis veniam habeamus, in nostra est positum potestate, si fratri nostro dimiserimus.

Deus in nostra manu reliquit, ut ipse nobis dimitteret. Chrysost.

Secundò. Magna Dei liberalitas, ut docet Divus Gregorius Nyssenus orat. de Orat. Quæ enim nos dimittimus, minima sunt; & tamen ob illorum dimissionem petimus, ut anima à Deo nobis dimittatur. Tertiò divina bonitas: ait citatus Nyssenus. Ordo quodammodo invertitur, ut audeamus sperare futurum, ut Deus nostra facta imitetur, ut dicas: Quod ego feci, Domine fac, sibi, sibi, dimisi, dimittit. & Theophylactus hæc, Theophy. Magna Dei bonitas. Habet me Deus, ut exemplar, & quod facio aliis, facie & mihi. Tanta est divina bonitas, ut Deus ipse quodammodo imitorem nostri se facere velit; proinde enim dicere docemur, Dimitte nobis sicut & nos dimittimus; quasi, Imitare nos; fac sicut nos fecimus. Ut etiam ponderat Cardinalis. Toletus in cap. 11. Luc. annot. 14. Vide Tolet. quæ dixi cap. 14. quest.

Idem. Nyssen.

Theophy. Magna Dei bonitas.

Quartò. Dei æquitas. Idem Nyssenus. Iudicium de proximo; quod in qua potestate est, qua, lecuque fuerit, sententia par erit, & respondet. Qua enim apud te staveris, hæc tibi per Deum in divino iudicio confirmabuntur. Tuam affectionem Deus ad bonum pro exemplo esse vult, ut in ad Deum dicas, quod ego feci, fac, &c. Tanta est Dei æquitas, ut quidquid boni proximo feceris, par à Deo te accepturum expectes. Et ita quæ voluntis, ut nobis veniant à Deo, similia & nos proximis exhibeamus.

124. Nyssen.

Talis tibi Deus. qualis tu proximo.

Quintò. Eximia Dei benevolentia, D. Bernardinus tom. 1. serm. 6. in prima feria 6. Quædragimæ. Sicut nos dimittimus debitoribus nostris, ut ostendatur, quod in præsentia vita amoris actus, prout in Deum absolute refertur, non utique est perfectus, ac per consequens nec Deo perfecte gratus, nisi ad dilectionem proximi, usque ad inimicos, & usque ad indulgentiam offensorem se patienter ostendat. Valde mirum, quod non dicimus: Dimitte debita nostra, sicut sanctificamus nomen tuum; sicut petimus, ut fiat voluntas tua; vel sicut optamus, ut pacificum tuum regnum destructis adversariis veniat; sed dicimus: sicut dimittimus debitoribus nostris. In illis enim petitionibus, ut sanctificetur ejus nomen, ut fiat ejus voluntas, ut adveniat ejus regnum, nostrum erga Deum explicamus amorem; hic verò cum dicimus: Sicut dimittimus debitoribus nostris; nosster significatur erga proximum amor: non enim datur perfectus Dei amor, nisi & amorem proximi secum devolvat, ac inimicorum dilectionem importet.

125. Bernard.

Non datur perfectus Dei amor sine proximi amore.

Quæres: Utrum mentiat, ac contra se deprecetur, qui suis offensioribus injurias dimittit. An qui nolit, dum hanc orationem dicit, Sicut dimittimus debitoribus nostris? Sunt multi, qui dicunt, quod iste in tali oratione mentiat. Ita Imperfectus homin. 14. D. Augustinus lib. 2. de serm. Domini, in monte, cap. 8. Et D. Chrysologus serm. 69. August. ait: Qui sic petit, & debita nostra relaxat, iste se etiam, per quod erat, accusat. Rectè tamen respondendum est primò cum D. Thom. quod iste nec mentitur, nec contra se deprecatur. Oratio enim fit in persona Ecclesiæ, quæ, debitoribus debita

126. An qui inimicis non parcat, in hac oratione mentiat? Imperfectus.

Chrysolog.

D. Thom.

M m dimitte,

dimitte, & in qua, ut ait Abulensis *quest.* 116. sunt multi, qui debitoribus debita dimitunt. Non enim dicimus: Dimitte, sicut ego dimitto; sicut nos dimitimus. Vel dic, quod hac verba proferimus tanquam formulam orandi à Christo præscriptam; per quam, ad dimittendas injurias, gratiam petimus, etiam monemur dimittere debitoribus nostris.

Matth. 6. n. 13. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

VERSIONES.

D. Aug. lib. 2. de Et ne nos inferas in tentationem.

Tertull. lib. de Sed evehe nos à malo.

Orat. cap. 8. Multi ex Græc. Sed libera nos à re mala.

Syriacus. Sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula sæculorum.

ALTER TEXTUS.

Lucæ 11. n. 3. Et ne nos inducas in tentationem.

EXPOSITIO.

127. **E**XTA petitio, Obtena venia à peccatis commissis, docet nos Dominus petere à futuris mali præservationem, ne deinceps in peccata incidamus. Et petimus: *Ne nos inducas in tentationem*; hoc est, Domine, ne patiaris, ut nos in tentatione vincamur, ac superemur; sed ut cum victoria ab illa evadamus, ut clarius dicam quæst. sequenti. *Sed libera nos à malo.* Ecce septima petitio, ut docet D. Augustinus. Et in ea deprecamur, ut Deus liberet nos ab omni re mala, quæ ad peccatum trahit, & virtuti obstaculum esse potest. *Amen.* D. Hieronymus, Hoc est signaculum Domine orationis, approbantis, ac orantis, ut fiat id, quod petimus. Et de hac voce plura dixi supra *cap. 3. quæst. 11.* Illa autem verba, quæ adduntur in textu Syriaco: *Quoniam tuum est regnum, &c.* nec ab Ecclesia, nec à Latinis Patribus adhibentur, sed fortè Græci post orationem Dominicam illa addebant. Et ea explicant Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus hic.

QUESTIO XVIII.

Qui d exoremus à Deo, dum petimus: Ne nos inducas in tentationem.

128. **A**RIÆ sunt in hac re Patrum sententiæ, quas ad triplicem ordinem reduco. Primò D. Chrysostomus *homil. 14. in Imperfecto.* Euthymius, D. Gregorius *lib. 3.*

Moral. cap. 3. interpretantur: Ne permittas, nos tentari ultra id, quod possumus, juxta illud Pauli 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis.* Secundò D. Hilarius *can. 31. in Matth.* D. Chrysostomus *hom. 20.* & Maldonatus eam tribuit Tertulliano. D. Cypriano, qui docent, quod nos conscij, ac memores fragilitatis nostræ, petimus à Deo, ne tentemur, nec in tentationem incidamus, multum enim fragiles sumus. Unde Christus Dominus dixit suis discipulis: *Orate, ne intretis in tentationem*, *Matth. 26. num. 41.* Tertio D. Basiliius in *Moralibus regula 62. cap. 2.* Tertullianus *lib. de Orat. cap. 8.* D. Chrysostomus *citatus*, ita explicant, ut petamus, ne Deus permittat, ut ob nostram fragilitatem nos tentationibus ingeramus, sed ab eis maxime dittemus.

Hæ sententiæ probabiles sunt. Tamen Jacobus ait *cap. 1. num. 1. Omne gaudium existimate, Miles ignavus, cum in varias tentationes incidieritis; nam certamine coronamur, illoque probatur, exercetur, ac perficitur virtus. Et solus miles ignavus petit à duce, ne in prælium mittatur. Illud autem, quod dicitur, quod petimus, ne supra nostras vires tentemur, verum est, quod hoc est beneficium omni petitione dignum; tamen est plus petendum à nobis, multi enim tentati, non supra, sed infra id quod possunt, tentatione vincuntur. Et idè absolute exorandum est auxilium ad omnem tentationem vincendam. Tertia etiam explicatio suam habet difficultatem, ut ponderat Toletus *annor. 15.* Nam illa doctrina: Ne patiaris, ut ingeramus nos tentationi; non accommodatur verbis hujus petitionis, potius enim dicunt passionem, quam actionem. Deinde in hac sententia oratio fertur ad casum particularem, ut ne homo ingredietur tentationem, frequentissime tamen tentationes nobis obveniunt, ac se obviam præbent, & nos provocant.*

Quarta, & longè probabilior explanatio, quod in hac oratione petimus: *Ne nos inducas in tentationem*; hoc est, ne patiaris, nos à tentatione vinci, ac in peccatum incidere. Id docet Divus Augustinus *lib. 2. de verbis Domini, capite 9.* Divus Paschasius *lib. 4. in Matth.* Albertus Magnus, Divus Thomas, Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Divus Bonaventura in *capite 11. Lucæ.* Carthusianus, & alij. Verissimilius enim est, Christum Dominum non docuisse, suos milites petere, ne in certamen veniant; nam in certamine perficitur virtus; sed petere victoriam, & trophæum in pugna. Et ita ait Divus Paschasius: *Non oramus ut tentemur, sed ne inducamur in tentationem, hoc est, ne tentatio ad medicum vincat, hoc qui pe est dicere, ne nos inferas in tentationem. Non enim beatificatur quispiam, quod non tentatur; sed quia post tentationem victor divinijs coronatur. Petimus ergo, ne nos tuo desitias auxilio, ut tentatio vincat. Ita Divus Paschasius.*

In hoc sensu explana lectionem Tertulliani: *Ne nos inducas in tentationem sed evehe nos à malo.* Qui evehitur, in eminentiori, ac altiori loco ponitur: Qui enim tentationem vincit, ac ab illa victor egreditur; jam evehitur ad altiorem locum, ut inde facilis omne malum, ac peccatum valeat profligare, atque destrucere. Et ita contra hos

Gregor. 1. Cor. 10. Hilari. Chrysof. Maldonat. Tertull. Cyprian.

Matth. 26. Basil. Tertull. Chrysof.

129. Jacob. 1. Miles ignavus vult in prælium non missi.

Tolet.

140. Probabilior explicatio.

August. Pasch. Alb. Magn. S. Thom. Abulens. Lyranus. Cajetan. Bonavent. Carthuf.

Paschaf.

141. Tertull.

Homo cum in tentatione vincit sublimatur.

Ambros. hos fortes milites Diaboli, insurgere timet. Nam, ut rectè ait D. Ambrosius in *cap. 4. Lucæ*, ad illa verba: *Diabolus recessit ab illo*; ait S. Doctor. *In stare formidat, scilicet Diabolus, quia refugit triumphare.*

QUESTIO XIX.

A quo malo liberari deprecemur?

132. **V**ARIÆ explicantur ab auctoribus, quid malum hic significet, dum dicimus: *Libera nos à malo.* Et ad hoc præbuit occasionem radix Græca, quæ anceps est ad masculinum, & neutrum genus. Primò Græci, ut D. Chrysostomus, D. Gregorius Nyssenus, Theophylactus, Euthymius, & D. Chrysologus *serm. 70.* per malum interpretantur Diabolum; nam ipse per antonomasiam est malus. Et à D. Chrysologo citato origo totius mali appellatur. Et multum favet aliquorum lectio, *libera nos à maligno.* Ac proinde oratio hic idem valet, ac libera nos à Diabolo, qui per malos homines nos tentat.

Secunda, & vera sententia, quam docent D. Augustinus *lib. 2. de serm. Domini.* D. Cyprianus *tract. de Orat.* D. Thomas, Abulensis, Cajetanus, Carthusianus, & alij. Per malum, non Diabolum, sed omne malum intelligunt, quod potest nos ad peccatum inclinare, ac impellere, & à via virtutis, ac perfectionis retrahere. Ac proinde Græcè idem valet, ac libera nos ab omni re mala. Et ita hic non solum petimus, ut aliqui interpretantur, vitiationem culpæ, sed etiam liberationem penæ.

Anagogicè verò D. Augustinus *Epistol. 121.* existimat, nos hic petere, ut liberemur à malo, id est, à concupiscentia. Hugo de sancto Victore *lib. 2. Allegoriarum, cap. 14.* existimat nostram orationem esse, ut liberemur à luxuria. Sic ait ille *Libera nos à malo. Hæc est septima petitio, quæ contra vitium, luxuria opponitur. Ecce ad te clamamus captivi, qui te contemptissimè liberi. Turpitudinis captivos nos tenet, ut confundatur presumptio. Libera ergo nos à malo. Malum est hoc, Domine, non sicut cætera mala crudelius persequitur, profundius nocet, effocius lædit, mentitur ut fallat; lenocinatur, ut perimat; mentitur dulcedinem, ut amaritudinem infundat. Ideo, Domine, discessilius vincitur, tardius extirpatur, quia nostris desiderijs adversus nos pugnat.*

Sed tunc insurgit difficultas: Cur clarius non docet nos Dominus, ut dicamus: *Libera nos à fornicatione, seu luxuria*; nam etiam purissimum Christos, ad nos docendos, hujusmodi verbum protulit aliquando *Matth. 5. num. 33. Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa.* Et c. 19. num. 9. *Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem.* Cur ergo hic etiam talia verba non exprimit? Magna sapientia divinus Magister omnia disponit. In his ultimis locis ita fatur; quia si vocabulum generale, & latum habens significatum promeretur, homines in levi causa arriperent occasionem habendi uxores invisas, ac eorum consortium vitandi; ideo ut talis anxia amputaretur, valde congruum fuit strictè fornicationis verbum declarare. At verò in oratione hac, in qua talis necessitas non urgebat, verbum luxuria redolens prætermittit, & aliud magis

133. *Verior sententia.* Bedæ. Cyprian. D. Thom. Abulens. Cajetan. Carthuf. 134. August. *Liberari à luxuria exoramus.* Hugo. *Luxuria malum gravissimum.* 135. *Difficultas, insurgens.* *Matth. 5. & 19.* *Luxuria nominata ab ore puro, & ab oratione.* *Sylveira in Evang. Tom. II.*

genericum, *Libera nos à malo*, profert. Tam quia pudicissimum Christi os nuda libidinis verba; quantum fieri poterat, devitabat; tum etiam, ut in oratione, exclusis illis impudicæ cupiditatis vocabulis, nostræ preces dulcius, & suavius ascenderent ad Patrem; & ne fornicationis vocibus divina aures exasperarentur, ideo invertuntur verba; & pro, libera nos à fornicatione, apponitur, libera nos à malo. Vide supra *cap. 13. num. 6. & 7.*

Matth. 6. n. 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester celestis delicta vestra. *Ibid. num. 5.* Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

VERSIONES.

Syriacus. Vata- Si enim remiseritis hominibus errata eorum. *blus.* Offensas, quibus vos offenderunt. *Græcus.*

ALTER TEXTUS.

Lucæ 11. n. 25. Et cum stabitis ad orandum, dimitte, si quid habebitis adversus aliquem: ut & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.

EXPOSITIO.

REDIT Dominus causam, ob quam nos præcipit, in oratione dicere: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; quia est veluti quædam conditio, & pactum, ut qualis se homo proximo suo exhibuerit, veluti pari jure Deum apud se inveniet. Remittentibus offensas suas remittuntur & illis peccata. Vindicantes verò, vicissim Dei vindictam contra se provocant. Illud tamen notandum, quod maxime Dominus nobis commendat hic remissionem injuriarum, ac inimicorum dilectionem, ut ponderavit D. Chrysostomus *homil. 20. Abundantius*, ait, ostendere volens, quantam hujus rei curam gerat: *id ipsum specialiter inculcavit. Et post impletam orationis formulam, nullius profus mandati meminit, nisi istius certè, quod ad dandam nos veniam concitavit. Vult Dominus, ut tam insinuata sit in cordibus nostris inimicorum dilectio, quod inter omnes septem petitiones, tam quæ ad Dei honorem, quam quæ ad nostrum commodum spectant, eam solam iterum, assingnata ratione, repetit, & inculcat.*

136. *Inimicorum dilectio maxime inculcatur à Domino.*